

quibus necessitas juris reddendi imposita est, consentit *Bachov.* add. l. quò pertinet eorum sententia, qui statuunt judicem inferiorem referre dubia ad superiorem debere. Quilibus consultationibus constat totus liber ultimus Epistolarum *Plinii*, ad d. l. 5. §. 2. D. de off. Procons. & Leg. l. 14. verb. consules nos de off. præsid. Et si hodièq; reducatur, minime tantum Juris controversi fore ait solidissimus *Nicol. Vigelius* Meth. Jur. controv. proœm. seu Rat. Legendi fol. 2. Et faciendum quasi jure devolutionis, (uti cum intra trimestre inferior ordinarius non prævidet devolvitur in præbendis jus eligendi ad proximum superiore c. 41. de Elect.) ut non pronunciante inferiore pronunciet superior. Idq; in beneficialibus in specie approbat *Geminian.* in c. eum qui : de eo qui mitt in posses. col. pen. v. quid si Fr. de Marchis p. I. qu. 1149. n. 3. *Joh. Igneus* in l. 3. §. sic cum omnes 4. nu. 37. & 38. D. de Sct. *Silan.* sed hoc remedium bonum quidem, nihil tamen facit ad hanc rem, quia non quærimus à quô, sed quid in proposito casu vel ab ipso demum Principe sit judicandum.

## VIII.

*Sorte rem dirimendam*, dicit *Gl.* in c. non exemplo 26. q. 2. c. licet causam q. de Prob. ad v. uti possidetis. *Felin.* ibid. n. 48. *Berojus* n. 59. *Decius* n. 28. per l. 14. D. de Judic. l. ult. pr. C. com. de Leg. sed ad l. 14. R. eam non ad merita causæ sed ordinationem processus pertinere: ad l. ult. R. ibi non casum controversum sorte decidi, sed modum finiendæ optionis prescribi. Nec obstat, quod ita DEO res commissa intelligatur, cuius juditium justissimum est. Nam hoc est quasi tentatio DEI, uti in purgationibus vulgaribus c. fin. de purg. vulg. neq; enim hic extraordinarum auxilium DEUS ea in re promisit. Cæterum *Bartolus* in concursu perplexo creditorum, non quidem modum pronunciandi judici, cautelam